



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**De Rebus Iaponicis, Indicis, Et Pervanis Epistolæ  
Recentiores**

**Hay, John**

**Antverpiæ, 1605**

Exemplvm Litterarvm P. Emmanvelis De Veiga Ab Vrbe Regia Chandegrino  
14. Cal. Oct. anno 1599.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61204)

sem, cuius supra meminimus. Dixi Patrem Emmanuelem Veigam cum suis sociis expectare Regis aduentum, qui ab expeditione Mandurena cum exercitu redibat, ut ad urbem Regiam contenderet, & in ea sedem Societati figeret. Coeptis affuit Dominus, ut crispus litteris V. P. intelligeret.

EXEMPLVM LITTERARVM P. EMMANVELIS DE VEIGA AB VRBE REGIA CHANDEGRI-  
no 14. Cal. Oct. anno 1599.

**A** Collegio urbis S. Thomae pridie Idus Augusti P. Franciscus Ricus & ego profecti perreximus ad urbem Chandegrinum. In hac urbe Rex Vishanagorae imperij sedem tenet, in oppido nimirum naturae loci munito, in cuius medio, exsurgit arx, quae aquis feculentibus abundat, ac propterea inexpugnabilis habetur. Secunda nocte postquam a S. Thomae dicessimus, ad locum quendam venimus, cui nomen Triualur, ibi in porticu faniculae gentilica superstitione celeberrimi pernoctauimus. Quam non gratus fuerit Daemone aduentus noster, per ministros suos illico prodidit, vnus est Brachmanis, qui loco praerat, manerari iussit, ea nocte Deum foras cum pompa proditurum, qui nostrorum conspectum moleste laturus esset; quare ut confestim discederemus monebat. Respondimus, nullum alium hospitium nobis parere: idolo vero non esse nos impedimento, quo minus in publicam deferretur, cum platea lata & compita complanata essent, nos vero in porticu manere. Illo adhuc urgente, & iam praevociferante, Pater Ricus exsurgens, Obonis Reguli atque imperatoris Regis nomen opponit, interminans etiam, ni taceret, quod ille audito, conticuit.

Post solis occasum effertur idolum in throno sublime, & octo baculis portantibus in plateam prodit. Effigies illi parua, quae trium palmorum longitudinem non superabat; indusum interius lintheum, superiorem amictum ex sericeo rubro gestabat. Oris figuram per noctem discernere non potui, nisi quod vultus nigredine speciosis vestibus discolor quodammodo conspicuum reddebat. Vestem & thronum multa herba odorifera & flores pingebant. In pompam vniuersam praecedebat elephas, seruitio idoli mancipatus. Hic album vexillum in gremio in dorso ferebat, post hunc tres boues eiusdem idoli, quibus super sedebant, qui tympana pullabant. Post hos alii quam plurimi buccinatores, diuersarum formarum tubas & cornua instabant; alii enim cornua adunca septem palmorum

palmorum, alii buccinas quasdam rectas oblongas, buccinatis  
 tis quatiebant, alii tubis, quæ duodecim palmorum longitudo  
 æquabant, ita clangebant, ut fulmine ligneo à femore exirent,  
 cum eas ori admouebant, uti necesse esset. Nonnulli grandibus  
 conchis insonabant, cum quibus viginti plus minus tympana  
 permisti ibant. Hi cuncti nullo ordine, nullo tempore obferant,  
 confuso atque aspero sono aërem atque aures obrundebant. His  
 sequebantur perpetua serie femina triginta saltatrices, quæ idem  
 perpetuo obsequio se deuinxerant, quibus nubere non licet, atque  
 hæ plerumque pudicitiam prostituunt. Ibant omnes vestitu ele-  
 ganti, in auribus & monilibus ornata. Prima vas æneum magnū  
 cum lumine ferebat, reliquæ cum singulis lampadibus accensa  
 sequebantur. Mulierum agmen claudebat idolum cum suis bacu-  
 lis & sacrificulis, qui fani istius reditibus viuunt.

Hinc inde plebs vniuersa cum lucernis accensis confertim in-  
 cedeat. Hæc pompa per quatuor plateas ad quadrum concen-  
 rentes incedeat, quarum singulæ patebant in latitudinem pedes  
 octoginta, in longitudinem passus quadringentos, longa palma-  
 rum seriis æqualibus spatiis, platearum latera utrinque ambibat.

In reditu, antequam delubrum ingrederentur, idolum in qua-  
 driuio statuunt, ut ibi de more caremonias & ritus solennes per-  
 agerent. Locus erat columnis quadratis viginti palmorum altitu-  
 dinis affabre constructus, tectum lapideum columnis impositū  
 in medio idolum collocant. Nobis è regione in porticu seden-  
 tibus à magistratu indicitur, ut assurgamus, Deum nempe comi-  
 tibus Patribus saltē pueri surgant. Respondemus, pueros esse Chri-  
 stianos, Diis gentium non assurgerē. Cum viderent nos obfirmato  
 animo in sententia permanere, orauerunt, ut siceremus, quod ni-  
 que fecimus, illorum cæcitatē sub silentio deplorantes. Vnde  
 illa turba ter circa idolum gradiebat. Hac caremonia per-  
 acta, longo agmine usque ad portam tēpli duplici serie incedeat.  
 Ex templo procedunt quatuor Brachmanes, qui idolum capibus  
 inclinatis venerabantur: hos quidam ministri sequebantur, & qui-  
 bus vnus canistrum oriza cocta plenum capite ferebat, in canis-  
 tra scilicet idolo. Hunc ventilatores comitabantur, qui stibellum mu-  
 cas arcebat. Cibo apposito duo ministri locum sydoneo coope-  
 riunt, ne quis Deum manducantem aspiceret. Interea ruis, sym-  
 balis, & tympanis magnus editur sonus: post paululum ablati ve-  
 lo, & amota oryza, ministri intro se recipiūt, prodit mox antistes,  
 qui lingua peregrina egregia Dei facinora & res ab eo peractas  
 gestas  
 deit.  
 ras &  
 ablu  
 N  
 frunc  
 infau  
 riculu  
 Ea, qu  
 ris plu  
 igiur  
 Hæc,  
 go cū  
 Quin  
 sufful  
 moui  
 audit  
 ria, ut  
 aliud  
 quod  
 terrar  
 diller  
 verò  
 quis  
 uit. C  
 tradi  
 tes, a  
 ban.  
 Pos  
 Septe  
 gulus  
 dam,  
 reatu  
 vultu  
 serico  
 tertū  
 que l  
 lus è  
 figies  
 antr  
 Rom

gestas alta voce decantat. Quo peracto in templum omnes redeunt. Quid ibi fecerint, nescimus, hoc vnum scimus, quatuor horas & eo amplius superstitiosis ritibus & cæremoniis peragendis absumptas.

Nō defuerunt, qui nobis interea problemata quædam & quæstionculas ponerent. Primum an essent dies boni & mali, fausti & infauti. Deinde an præscire quis possit, quoto quis anno vitæ curriculum sit absoluturus. Terriò quo genere mortis sit moriturus. Ea, quæ ad hæc respondimus, approbauere omnes. Vnus, vt cæteris plus sapere videretur, hæc omnia se diuinaturum recepit. Scis igitur (inquam) quot annos sis victurus, & qua morte moriturus? Hæc, inquit ille, in libello quodam meo scripta continentur; at ego cum aliorum fata legam, quæ ad me pertinent, legere nequeo. Quin igitur (inquam) alteri das, qui tua legat, vt scias? Ille rubore suffusus, cum nihil occurreret quod responderet, omnibus risum mouit. Alii de Diis suis, & de mundi constructione, & fabrica inaudita quædam prodigia somniabant. Septem dicebant esse maria, vnum aquæ salis, aliud aquæ dulcis, aliud mellis, aliud lactis, aliud lactis in acorem iucundum & pinguem spumam densati, quod Tairum vocant, aliud sacchari, aliud butyri. Alii dicebant, terram nouem cõstare angulis, quibus cælo innititur. Alius ab his dissentiens, volebat terram septem elephantis fulciri, elephantibus verò ne subsiderent, super testudine pedes fixos habere. Quærenti quis testudinis corpus firmaret, ne dilaberetur, respondere nesciuit. Quare horum opinionibus confutatis, ea quæ philosophia tradit, pro illorum capto in medium protuli: quibus illi assentiētes, ac rationi consentanea æstimantes, ea quæ Brachmanes dicebant, tanquam falsa & inepta rejecerunt.

Postera luce iter prosequimur, & tandem decimo septimo Cal. Septembr. ad hanc urbem Chandeginum peruenimus. Obo Regulus de nostro aduentu per nuntium certior factus, ædes quædam pro tempore accommodari iussit, donec aliæ meliores pararetur. Vno aut altero die elapso, Obo nō visitauimus, is magnam vultu lætitiã præ se ferens, perhonorificè nos excepit, cathedra serico villosa instrata vti noluit, sed super tapete discumbens, alterum nobis sterni iussit. Postridie ad Regem accessimus. Is quoque benignissimè nos excepit. Regi assidebat Obo Regulus, & alius è magnatibus, Regis nepos. Saluatoris & B. Virginis pictas effigies proferimus, quas ille vultu admodum læto atque intento animo contuebatur. Erat effigies B. Virginis ex illo exemplari Romano transumpta, quod à S. Luca pictū accepimus. Huius ima-

ginis nō solū viuida colorū specie, & picturā artificio, sed etiam multo magis iis, quā a P. Riccio dicebatur, delectatus est. Postquam duarū horarum colloquia, datis de more muneribus, nobis manifestissime dimisit. Velle nos in urbē sedē hēgere, sibi gratū esse, infertis verbis affirmavit. Oboni praecepit, ut quē in tota urbe locū eligeremus, eū nobis cōlestim possidendū traderet. Diplomate cōcessurū promisit, quibus facultate daturus esset omnibus, qui Christiana sacra susceperint, ut eī prius officiis, atq; honoris, dignitates, & magistratus, & bona quaevis retinēdi, sicut in Paganismo retinēbāt. Harū omnium facultatū capita, quae in tolo hystoriaris palme scripta attulimus, clara voce coram omnibus lecta & recitata sunt.

Post hac alios Palatinos & magnates nōnullos visitamus. In his nepotē Regis, quē vocāt China Ragū, id est, secundū a Rege, qui ei in regno creditur successurus. Hic tāto nos cōueniendi desiderio tenebatur, ut ad se visitandū quodāmodo invitaret. Dum nos nostras Palatini tā secūdo cursu ferri cernūt, ipsi quoq; visitandi & cōgratulandi officiis certare ceperūt. Duo quoq; filii Obonis Beguli, solito illo equorū & elephatorum comitatu, ad ades nostras venerūt; & antequā ingrederetur, diū multūq; imagines illas inspeccando oculos pascebat: & quasi hoc parū esset, orabant ut eam domum deferre & vxoribus ostēdere liceret. In charta cosmographica, quā Mappā appellant, immēsi Oceani spacia, terrarū meriumq; sinuosos tractus, atq; insularū diversā magnitudinē, nōmerū, & sitū accuratius observantes, maxima admiratione affecti, incredibilē perceperunt ex illa descriptione latitū & vniuersitatis.

Facultate à Rege dara Ecclesiae exstruēda, aream idoneam quaerimus, quam ut in areā & ambitu palatii nullo modo cōcedi posse compertum est, paululum extra erus muros locum elegantissimū accommodatum. Est enim intra urbē, & ab vno latere hortis & arboribus obiectus, solitudinē & recessum promittit. Possidebat haec fundum Regina, Obonis filia, quae parentis hortatu nostris precibus libenter annuens, e vestigio Procuratorē misit, qui suo nomine Patribus quae vellent possidendū traderet. Quare ad quatuor Idus Septēbris in fundi huius possessionē pedē posuimus, ad vntium Idus eiusdem mensis eō ad habitandū conuenimus. Atque nunc repositis huius missionis est status: quae deinceps succurrat litteris, quas via S. Thomae missurus sum, V. R. cognoscat. Clodogrini, 14. Calend. Octobris, anno 1599. Hae P. Emanuel Vega.

Adjiciam & aliam epistolam breuem P. Francisci Ricci, quae

huiusmodi est: Per benignè cum ab ipso Rege tum à Regni proceri-  
 bus fuimus excepti. Vix dici potest, quanta animi voluptate inspe-  
 xerint Domini Saluatoris imaginem, & B. Virginis aduocata no-  
 stra, quæ pro materna pietate voluit, vt infra octauas suæ beatif-  
 simæ Assumptionis aditus nobis in palatium pateret. qua etiã de-  
 precante factum est, vt Rex & Proceres omni nos humanitate cõ-  
 plecterentur, vt facultas concessa sit Ecclesiis ædificandi, cruces  
 erigendi, atque in toto hoc amplissimo imperio homines ad veri  
 Dei cultum reducendi, saluis interim bonis omnibus, & officiis  
 quibuscumque & facultatibus, quibus ante baptismum gaudebant.  
 Area, quam Ecclesiæ construendæ elegimus, ad Reginam pertine-  
 bat. Illam, O bonis patris commendatione fretus, visitavi in-  
 professo Natiuitatis B. Virginis, sermonis internuntia fuit ancil-  
 la ostiaria. renuntiat illa Reginam, quamcumque aream aut  
 fundum Patres vellent, ad se pertinentem, libentissimo animo.  
 eis in perpetuum donare, atq; eiusdem possessionem postredie se  
 nobis tradituram promisit. Dilata tamen res est vsq; in diem ter-  
 tium, eo quod postredie infaustum esse diē sacrificuli dictitabant.  
 Speramus tandem aliquando fore, vt omnes optimè intelligant,  
 quã felix fuerit ille dies, quo B. Deipara Virgo in gaudium & so-  
 latium vniuersi mundi in lucem edita est. Die igitur ad libitum il-  
 lorum constituto, misit Obo Regulus Ducem exercitus, Regina  
 matronam. Hi verbis & actibus solennibus fundi possessionem  
 nobis tradiderunt. Mox quinquaginta familiæ, quæ ibi habitabãt,  
 loco cesserunt. Atque hoc pacto iam in Vissanagorano regno &  
 regia sede habet Dominus Deus domum, in qua adoretur, & co-  
 lar, & diuinum offeratur sacrificium. Papum Regulum indies  
 expectamus: is vbi venerit, de extruenda in eius terris Ecclesia  
 cum illo agemus. Delauaius, qui & supremus militum Præfectus,  
 ad Regem venit, vt de crimine quodam sibi illato se purgaret. Is  
 quanquam in primo congressu non benè acceptus est à Rege, ta-  
 men iam videtur æquiore animo esse. Per hos dies quingentis sclo-  
 perariis comitatum a Palatio redeuntem vidimus. nos vbi vidit,  
 ad Brachmanes conuersus, dixit: Ecce aduenerè Patres, vt Eccle-  
 sias condant: parate vos, eritis omnes Christiani. Tunc temporis  
 aperto tantum capite prætereuntem salutauimus. Peditum suo-  
 rum copias Regi ostendit, quos vulgò dicunt quindecim millium  
 numerum explere. Chandegrini, 14. Cal. Octob. 1599. *1611*  
 Hæc habui, quæ ad V. P. in præsentia scriberem de missionibus,  
 quibus nostri summo cum ardore, & rei Christianæ promouen-  
 tæ studio, pro instituti nostri ratione versantur in primis ipsi  
 professi,

808 HISTOR. RELAT. DE INDIA ORIENT.  
 professi, qui non solum resident in locis pristinis & antiquo Moluccarū, & Manaris insularū, atq; in oris Piscariae & Trauacens, in locis etiam Malabariū, & vtriusq; Salfeti Goani, & Septentrionis, verum etiam omnibus ferè nouis missionibus destinantur. Profecti enim sunt alii ad regna Achebaris, alii ad regnum Combaie, qui tamen expectant in propinquis locis, (deest enim rari modo Proregis consensus) alii ad Zamorinum in vbera Calicut, quò præter eos, qui iam ibi erant, missi sunt alii duo cū Andoã Furtado Mendotio, rei militaris gloria præstante viro, qui cū hoc scripsi, in Cunalicam illā expeditionē classem cū exercitu educebat. His addo missionem nouam Angamalis & Bégala, quarū posteriorē aliorū duorum Patrū accessū auximus. addo etiam Periapatanum, Negapatatum, & Vissanagoram. His omnibus locis nostræ Societatis homines, amplius ducēta & septuaginta Christianorū millia, qui ad centū & sexaginta nouē Ecclesiās pertinet, penes se in Catholica fide, & in doctrina ac moribus Christiano nomine dignis, erudiendos habent. Quod autem atinet ad Iapōnē & Sinas, P. Alexander Valignanus, eius V. Prouincia Viscator, ad V. P. suo tempore scriber. Ceterum defuncto iā Quabaco tyano, expectamus nuntios & litteras hoc anno admodum latus: imò de Iaponensem Procuratorem hinc anno sequenti transmissurū. Tyrannus ille cū in vrbe Meaco graui morbo decuberet, quam primū D. Ludouicus, Episcopus Japonensis, & P. Viscator cū aliis Patribus ad portum Nangasaqui applicuissent, in ipso tempore graue deliquium passus, post aliquot dies extinctus est, atque vna cum illo restincta persecutio, quam à tot annis in Societatem & Ecclesiam Iaponicam mouerat. Reliqua sciet V. P. ex P. Alberto Laertio, qui hoc anno in Procuratorē a prouincia electus est primo loco, electus etiam secundo loco, vt Procuratori posset succedere, P. Franciscus Viera, quē pariter in Lusitaniā visum est mittere, vt certior esset Procuratoris ad urbē profectio. Cū his duobus Patribus cuncta prouincia sperat fore, vt P. V. ex istis prouincijs Europæis mittat multos egregios operarios, qui tā præclara merita prouehant, & ardenti animarum zelo nobiscū in gentiū conuersionem incumbāt. Quod reliquum est, ego & Fratres mei omnes, V. P. ceterorūq; Patrum ac Fratrum nostrorum sanctis sacrificiis & orationibus nos enixè commendamus. Goz, Oct. Calian. in die festo S. Thomæ Apostoli Indiæ Patroni, Anno 1599.

*V. P. Filius in Domino*

NICOLAUS FIMENTAL  
NICO